

siae vel loci pii sub excommunicatione comprehendatur.

Et quidem in re non conveniunt neque antiqui neque recentiores.

Qui porro negativam sententiam amplectebantur rationi innitebantur, quod mens Pauli II in cit. Extrav. *Ambitiosae* fuit impedire quominus bona Ecclesiastica ab Ecclesia ad laicas manus transirent, atque ita ab fine praestituto deciderent; id autem locum non habere in casu nostro, cum bona remaneant Ecclesiae, et in eundem finem applicentur (1).

(1) Pro eiusmodi sententia etiam Schmalzgrueber citatur ab cl. Scriptoribus *de la Nouvelle Revue Tom. XI, pag. 490, nota 2*. At ni fallimur immerito. Ita enim cit. Auctor scribit *Ius eccles. univ. lib. III tit. XIII, nn. 22, 23*. Quaer. 7: an nomine alienationis hic prohibita comprehendatur translatio bonorum, vel reddituum unius Ecclesiae particularis ad aliam Ecclesiam.

Resp. P. Engl. *hic n. 16* putat de puncto iuris, et extra Italiam (ubi praxis Curiae Romanae non ita attenditur, nisi et hic consuetudine aliud receptum sit) non improbabilem esse sententiam negativam, hoc saltem sensu, ut si evidens causa utilitatis vel necessitatis subsit, superioris licentia non requiratur, eoquod finis prohibitionis de non alienandis rebus ecclesiae sit bonum Ecclesiae universalis, non vero Ecclesiarum particularium.

Sed dicendum, etiam in tali translatione, ut licita et valida illa sit, opus esse ut solemnitates iuris in ea interveniant. Sumitur ex *Can. Eccles. 43 Caus. 16 q. 1. etc.* Ratio est quia eiusmodi translatio est verae alienationis species, quae si fiat sine solemnitatibus a iure praescriptis, est interdicta praelatis Ecclesiae.

Potest tamen translatio talis ab Episcopo, vel alio simili praelato, qui iurisdictionem quasi episcopalem habeat, fieri tribus his concurrentibus 1. ut fiat ex iusta causa, qualis est indulgentia alterius Ecclesiae; nam Ecclesiae particulares tanquam membra unius corporis, scilicet, Ecclesiae universalis, subvenire sibi invicem debent. 2. ut prius Rectori et Ministris, item fabricae Ecclesiae, de cuius bonis translatio facienda est, ex eiusdem redditibus provideatur quod necessarium ipsis est; non enim debet discooperiri unum altare, ut cooperiatur alterum. 3. ut interveniat consensus Capituli imo et patroni, si Ecclesia sit patronata.

(2) An contrahat hanc censuram qui sine iuris solemnitatibus, praesertim sine beneplacito Sedis Apostolicae ab una Ecclesia alienat bona, et transfert ad aliam Ecclesiam?

R. Sententia negativa videtur tenenda. Ratio est quia licet illa alienatio sit invalida si fuerit facta absque iusta causa, vel ad poenam rescindi possit si ex

Haec autem sententia recentiorum Commentatorum suffragio non destituitur. De Varceno loc. cit. *pag. 502* contendit in eiusmodi alienationibus inter Ecclesias et Ecclesias vel loca pia excommunicationem non incurri ob defectum praesumptionis quam legislator requisivit, cum inter antiquos non pauci et gravis essent auctoritatis Doctores qui sententiam hanc tuerentur; porro praesumptio in eo non supponitur qui actionem ponit cuius licentia auctoritate gravi munitur (2).

Accedunt alii Commentatores.

Reatinus *n. 168 edit. 3* verius putat eiusmodi inter Ecclesias distractiones non pertinere ad illas alienationes, quae in Extrav. *Ambitiosae* excommunicatione coercentur (1). Atque idipsum arbitratur claris. Balzerini in notis ad Theol. Moral. P. Gury *pag. 1006, edit. 1878*, ea ductus ratione quod in alienationibus quae fiunt de Ecclesia in Ecclesiam non satis convenit, utrum opus sit beneplacito Apostolico (2).

Attamen alii contrariam sententiam defendunt hisce fulti argumentis. 1. quia lex generalis est, atque prohibet et in irritum mittit alienationem quamlibet sine beneplacito Apostolico peractam; neque distinguit inter alienationes quae in favorem laicorum aut privatarum personarum et illas quae fiunt in favorem Ecclesiae aut alius loci pii; ubi vero lex non distinguit nec nos distinguere debemus. Nudum vero nullus textus legis affertur, quo distinctionem admittere cogamur, sed sunt qui eodem iure decernunt alienationes privatis factas personis ac locis piis. Innocentius IV, ut exemplum afferamus, in irritum mittit permutationem

inter duas Ecclesias peractam, quia initam sine solemnitatibus per sacros canones praescriptas: « Quia » etiam tractatus solemniter et diligens, qui in talibus concessionibus perpetuis, et alienationibus rerum ecclesiasticarum exigitur, non fuit habitus in eadem: ordinationem et concessionem ipsam ... de fratrum nostrorum consilio » decernimus non valere. » Ergo alienationes quaelibet, etiam inter loca pia, eidem iuri subiiciuntur.

2. Quia dum Legislator determinatas solemnitates pro alienatione bonorum ecclesiasticorum praescripsit, impedire voluit quominus Ecclesiae et bonis expoliarentur, et privarentur redditibus necessariis ministrorum sustentationi et divini cultus conservationi. Atqui eiusmodi incommodum contingit sive bona alicuius Ecclesiae in favorem laicorum, sive aliorum locorum piorum alienentur. Finis ergo a legislatore sibi praestitutus etiam in his alienationibus corrumpitur.

Sed 3. adsunt interpretationes authenticae. S. Congregatio Concilii de re interrogata die 24 Ianuarii anni 1632 (3) sententiam eiusiusta causa, non est tamen plectenda hac censura, cum non sit facta ex aliqua temeritate; casus enim est omnino dubius, quia ex utraque parte adsunt auctores magni momenti.

(1) Ad eas distractiones verius non pertinet (alienatio haec) quae fiunt inter ipsas Ecclesias et loca pia.

(2) Ceterum cum excommunicatio non contrahatur nisi alienatio fiat sine beneplacito Sedis Apostolicae; proinde cum alienationibus, quae fiunt de Ecclesia in Ecclesiam, non satis conveniat, utrum opus sit huiusmodi beneplacito, non constat, in his excommunicationi locum esse.

(3) A Ferraris V. *Alienatio* eiusmodi decretum citat. sub anno 1732.

modi pronunciavit: « Sacra Congregatio Concilii, dubio proposito mature discusso, censuit permutationem inter duas Ecclesias absque solemnitatibus factam, effectuatam minime sustineri, et rectores ipsarum Ecclesiarum incideris in poenas Cap. X, session. XXII de Reformatione, et Extravagantis *Ambitosae*. » At si id de permutationibus praescriptum fuit, pro quibus canones extabant

qui eas permittere videbantur (1) multo magis de alienationibus proprie dictis iuste decretum intelligitur.

Accedit quod cum ad S. Congregationem Concilii delata fuisset quaedam permutatio inter Monasteria eiusdem Ordinis conciliata, et utriusque Monasterio utilis, et dubium propositum fuisset: « An alienationes de quibus in praenarrato decreto (2) agitur, quatenus in-

(1) Cap. *Non licet*, 1, De rebus Ecclesiae alienandis vel non. « Non licet » Episcopo vel Abbati terram unius Ecclesiae vertere ad aliam, quamvis ambae » in eius sint potestate: tamen si commutare voluerit terras eorum, cum consensu » ambarum partium faciat. » Et Cap. *Ad quaestiones*, 6, de rerum permutatione: « Respondemus quod cum de dictis paroecialibus Ecclesiis per se queat » commutatio celebrari, et in permutatione possessionum per se non sit inhibendum, » si altera ratione possessionum alteri praeponderet, pecuniam posse refundi de ipsarum » possessionibus ad invicem, prout visum fuerit expedire, refusa certae pecuniae » quantitate poterit contractus permutationis iniri, sic tamen quod illi contractus » nequaquam sibi invicem misceantur.

(2) Ne lectores lateat decretum pro Regularibus latum a S. Congreg. Concilii die 7 Septembris 1624 illud ex Lucio Ferraris loc. cit. n. 30 exscribimus: « Sacra » Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, rerum experimento » edocta quantum religiones accipiant detrimenti ex bonorum immobilium et pretiosorum » mobilium detractionibus quas crebro faciunt regulares apostolicis privilegiis innixi, ac » proinde operae pretium putans illorum facultatem aliqua ratione compescere, speciali » sanctissimi Domini nostri iussu generalibus et provincialibus capitulis, vel Congregationibus, » Abbatibus, generalibus, et quibuscumque aliis Superioribus regularibus cuiusvis Ordinis, » Congregationis, Societatis, Instituti, intra fines Europae existentibus, omnium rerum et » bonorum immobilium, ac pretiosorum mobilium alienationem, omneque pactum per quod » ipsorum dominium transfertur, census perpetuos, seu vitalitios, hypothecam, locationem et » conductionem ultra triennium, cessionem in pendum vel emphyteusim, praeterquam » in casibus a iure permissis fieri perpetuo prohibet atque interdicat absque » illius Congregationis Concilii expressa licentia in scriptis et gratis concedenda, » sub poena privationis omnium officiorum quae tunc obtinebunt, vocisque activae » et passivae, ac perpetuae inhabilitatis ad illa in posterum obtinenda, quam ipso » facto absque alia declaratione incurrant, sublata etiam Generali et Protectori » illam moderandi ac relaxandi facultate, poenis nihilominus Apostolicarum Congregationum, » et praesertim felic. record. Pauli II, quae incipit *Ambitosae*, in suo robore permansuris. Alienationes vero, pacta, census, hypothecas, locationes, » conductiones et concessionem quascumque contra huiusmodi prohibitionem facien-

» ter Monasteria eiusdem Ordinis, » et quidem cum utriusque con- » trahentis Monasterii utilitate fiant, » ita prohibita atque interdicta » censeantur, ut absque S. Congregationis Concilii licentia perfici » non possint?

» S. Congregatio respondit: *ita esse prohibitas*. Et die 3 Martii eiusdem anni, facta relatione Sanctissimo, Sanctitas Sua Congregationis sententiam probavit. » Apud Ferraris v. *Alienatio* n. 32.

Et ne in re nimii simus, ex variis decretis quae ab Lucio Ferraris in loc. cit. afferuntur, et ab Card. Petra ad Const. V. Pauli II seu *Ambitosae* omnino patere arbitramur, Romanas Congregationes in quibuslibet alienationibus, etiam inter ecclesias, requisivisse beneplacitum Apostolicum sub poenis in cit. Const. statutis; cum vero Romanae Congregationes iuris Pontificii sint legitimae interpretes, non videmus quo argumento defendi possit, alienationes bonorum Ecclesiasticorum

in favorem alterius Ecclesiae factas praesenti excommunicatione eximi.

Non negamus equidem in Extravagantis *Ambitosae* prologo affirmari alienationes eiusmodi prohiberi ne bona ecclesiastica in profanos usus applicentur, ideoque de alienationibus agi videtur in laicorum favorem peragendis; attamen cum pluries Romanae Congregationes, vidente et probante Romano Pontifice, decreverint comminatas poenas extendi debere etiam in alienationes factas inter loca pia, arbitrari debemus Principem et ad has legem extendisse, et omnino voluisse ut pro quibuslibet alienationibus beneplacitum Apostolicum referatur.

Id vero probabili admodum de causa: ne finis scilicet singulis Ecclesiis praestitutus, seu divini cultus conservatio, et sustentatio ministrorum labefactaretur, ut supra observavimus. Quin et illud addimus, quod quamvis occasione alienationum in favorem laicorum

» das, Sanctitatis suae auctoritate, ipso iure nullas, atque irritas decrevit, non » obstantibus etc. Datum Romae die 7 Sept. 1624. »

Attamen cum Regulares aliis modis latum decretum eluderent, S. Congregatio die 21 Martii 1625, sequenti decreto quamlibet compescuit violationem: « Cum » post editum decretum de rebus regularium non alienandis compertum sit, regulares, qui eodem decreto prohibentur census imponere super bonis ad eorum monasteria pertinentibus, loco censuum huiusmodi pecunias ad cambium, vel mutuo accipere cum solutione lucri cessantis et damni emergentis; cumque ex huiusmodi contractu eludatur mens S. Congregationis, cui in primis in votis fuit consulere religionum indemnitati quae ex impositione censuum huiusmodi plurimum laeduntur, S. D. N. approbante, dictavit et declaravit huiusmodi contractum esse contra mentem decreti ut supra editi; ideoque non licere regularibus pecunias, ut proponitur, accipere, ac si acceperint, in ipsius decreti poenas ipso facto incidere. Datum etc. »

Constitutio *Ambitiosae* lata fuerit, tamen deinceps quaslibet alienationes Pontifex prohibuerit, ut singularum Ecclesiarum bono et indemnitati consuleret; alienationes enim quas §. 1. prohibet nedum cum laicis sed etiam cum aliis locis piis sanciebantur.

Quibus etiam difficultati satisfactum censemus, quae afferri posset, declarationes scilicet Congregationum Romanarum non esse admittendas nisi sint legi latae conformes: Etenim difformes probari non possunt ea de causa quia §. 1. Extrav. *Ambitiosae* Paulus II generice prorsus loquitur de quibuslibet alienantibus et recipientibus; atque etiam dato et non concesso quod difformes sint, supponenda est voluntas principis legem latam ad alienationes etiam inter Ecclesias extendentis, cum sin minus non perciperetur quomodo, Romanis Pontificibus probantibus, pluries Romanae Congregationes id declarare potuerint.

Neque negamus antiquos inter aliquos fuisse qui contrariam sententiam tenerent; attamen certum est extitisse multo plures qui nostram defenderent; horum autem sententiae suffragium ferre Romanarum Congregationum decreta explicita et peremptoria, utpote quae

communita Romanorum Pontificum auctoritate fuerint, immo Innocentii IV decretum quod supra retulimus.

Sed neque adeo certum videtur in eiusmodi alienationibus praesumptionem deesse. Quomodo enim praesumptio in eo deesse poterit qui posthabitis Romanarum Congregationum decretis, quibus diserte asseritur comminatio poenarum in Extravaganti *Ambitiosae* comminatarum, eiusmodi alienationes agit? Nonne enim hic sciens volensque ecclesiastica decreta aspernatur? Quanti vero putanda est nonnullorum privatorum doctorum sententia contra sententiam apertam Romanarum Congregationum quae destinatae sunt ad interpretandum ius Pontificium; quaeque non semel aut bis, sed pluries eadem sententiam in re protulerunt? (1).

Quod vero nonnulli Constitutionis *Apostolicae Sedis* Commentatores sententiam illam propugnaverint causa esse non potest ut illis omnino adhaereamus; adsunt enim rationes demonstrativae quibus ab ea recedere compellimur.

Relate ad pecuniae alienationem quamvis cl. Commentator Reatinus eam excommunicatione eximat, quia *eius usus in abusu, seu*

(1) Cf. Pallottini, *Decreta authentica S. C. Concilii*, § III, n. 72, 73, 80 et 81; 94 et 95, 279-295: 331-333: 542-544. Insuper Thesaurus resolutionum S. C. Concilii Tom. 75, pag. 30, et tom. 86, pag. 275 quibus in locis plurimae declarationes afferuntur, in quibus S. Congregatio Concilii asseruit in eiusmodi alienationibus incurri poenas in Extrav. *Ambitiosae* comminatas.

in absuntione, est; alii tamen verius distinguunt inter pecunias quae ex bonis Ecclesiae, vel eleemosynis percipiuntur, atque illas quae vel Ecclesiae donantur eo pacto ut per eas stabilia quaedam comparentur, vel habentur ex fundo aliquo Ecclesiae devendito; primi enim generis pecuniae distractione nulla certe excommunicatio incurritur, cum ad ea bona pertineat quae *servando servari non possunt*; pecuniae enim quae vel mutuo non dantur, vel negotio non exponuntur nullum fructum producant; at negotiatio clericis est prohibita. Alius at generis pecuniae distractio excommunicatione non eximetur, repraesentat enim fundum in cuius acquisitionem impendi debet; ideoque servari potest et debet atque destinatione necessaria frugifera est.

Idipsum vero dicendum de pecunia ex venditione fundi ecclesiastici percepta. Numquam enim S. Sedes alienationem fundi ecclesiastici permittit nisi expressa conditione ut pecunia alias et utiliter investiat. Cum insuper sine facultatibus Apostolicis fundus alienari non poterit, si pecunia percepta ex S. Sedis consensu alter impendatur, ex. gr. ad solvendum aes alienum, hoc ipso quaelibet excommunicatio et poena excluditur (1).

Haec de cetero Doctorum sententia est, quorum ne ingentem citemus numerum, utimur tantum auctoritate praestantissimorum Schmalzgrueber et Reiffenstuel. Primus itaque *Ius Eccl. univ. lib. III. Titul. XIII, n. 51.* scribit. « *Distinguendum est inter pecunias, quae ex fructibus venditis, loca-*

(1) Nonnulli Doctores, ut Mayr, Angelus Clavassio, Barbosa. De Angelis *Praelectiones iuris Canonici* lib. III, tit. XIII, 1. Affirmant excommunicationem huius Capituli etiam contrahi ob distractionem ingentis pecuniae in thesauro Ecclesiae reconditae atque ad urgentes necessitates repellendas destinatae: Mayr *Trismegistus iuris Pontificii* lib. III, tit. XIII, n. 31 ita ratiocinia ducit: « *Limitatio est quando pecuniae alienantur in magna quantitate; sic enim merito habentur pro mobilibus pretiosis et cessat ratio, ob quam diximus eas sine solemnitatibus posse alienari, nempe quod spectant ad quotidianum usum, et servando servari non possint; cum potius tum censeantur esse in thesauro, et a diligentioribus Patribus familias ad futuras necessitates, vel ad conservandum seu augendum Ecclesiae patrimonium soleant asservari.* »

At huic sententiae alii doctores contradicunt, alios inter Passerini. *De hominum statibus ac officiis quaest* 185. art. VII, n. 442, et Schmier *Iuris prudentia Canonico-civilis* lib. III, Tract. 1, part. II, Cap. IV, n. 41; nec immerito, ut nobis videtur; non constat enim an Paulus II sub nomine mobilium pretiosorum eiusmodi pecuniam comprehenderit; nec necessaria ad divini cultus conservationem, et ministrorum sustentationem demonstratur, quem finem Paulus II in interdicendis alienationibus bonorum ecclesiasticorum sibi praestituerat: pecuniam vero illam conservare vel expendere ad Ecclesiarum administratores vel Rectores pertinet, seu illos qui domini censentur vel sunt. Hos igitur alienantes de excommunicatione damnare non audemus.

» tionum mercedibus, aliisque red-
 » ditibus percipiuntur; et inter eas
 » quae donatae, a testatore relictæ,
 » aut ex venditione rei immobilis,
 » vel mobilis pretiosae redactæ in
 » eum finem sunt, ut alia res im-
 » mobilis, vel mobilis pretiosa com-
 » paretur; nam primo casu libere
 » et absque solemnitate expendi
 » possunt, quod probat ratio allata
 » in contrarium; in secundo, ut
 » expendi in alium finem possint,
 » canonica solemnitate est opus;
 » quia ratione destinationis cense-
 » tur inter immobilia, aut mobilia
 » pretiosa, quae eidem subrogari
 » debent. » Atque pro sua sen-
 » tentia citat decem saltem doctores.

Reiffenstuel vero *Ius Can. Univ.*
lib. III. tit. XIII n. 15; « Pecuniam,
 » inquit, etiam regulariter
 » potest Praelatus sine solemnitate
 » expendere, quia est res mobilis,
 » atque reposita in cista nullum
 » fructum affert... Dummodo hinc
 » excipiatur casus, quo certa sum-
 » ma pecuniae specialiter deputata
 » est ad emenda bona immobilia,
 » vel Ecclesiam aedificandam, aut
 » pro gravissimis futuris necessita-
 » tibus reservata. » Pecunia hinc
 » huiusmodi tantum in usum ad quem
 » destinata fuit sine beneplacito Apo-
 » stolico potest expendi, alias mi-
 » nime.

Verum Commentatores hoc in lo-
 » co etiam inquirunt: an incurratur
 » excommunicatio ob alienationem
 » honorum ecclesiasticorum, quae
 » nullum detrimentum Ecclesiae in-

tulit, quaeque peracta fuit necessi-
 » tatis, utilitatis, vel pietatis causa.

Discrepant autem in sententia.
 Clarissimi Commentatores Reatinus,
 Ballerini, et De Varceno negative
 rem definiunt eo quod alienatio
 eiusmodi valet in foro conscien-
 » tia, quamvis per sententiam iudi-
 » cis possit penitus rescindi: Eis ta-
 » men contradicunt scriptores de *la*
Nouvelle Revue Theologique qui af-
 » firmant, sententiam illam opponi
 » tum legi, tum spiritui legis, tum
 » Romanarum Congregationum de-
 » cretis.

Et 1. verbis legis. Etenim Pau-
 » lus II excommunicatione eos omnes
 » percussit qui alienaverint vel rece-
 » perint bona ecclesiastica *inconsulto*
Romano Pontifice, aut contra prae-
sentis Constitutionis tenorem. Ad
 » incurrendam igitur excommunicati-
 » onem unum necessarium est, ali-
 » nare scilicet bona Ecclesiastica sine
 » Romanae Sedis beneplacito; in te-
 » nore autem latae Constitutionis nullo
 » modo deprehenditur, Rom. Ponti-
 » ficem excepisse alienationes factas
 » causa necessitatis, utilitatis aut pie-
 » tatis. Sed neque id in Piano capite
 » deprehenditur, quo pariter excom-
 » municantur alienantes et recipere
 » praesumentes bona ecclesiastica
 » *absque beneplacito Apostolico*, nulla
 » facta exceptione, aut distinctione.

Sed 2. motivo latae legis oppo-
 » nitur. Ideo enim Romani Pontifices
 » nullas alienationes sine S. Sedis
 » consensu factas declararunt, quia
 » sibi reservarunt facultatem expen-

dendi motiva et causas alienatio-
 » num perficiendarum; viderant enim
 » quod saepe variarum causarum in-
 » tuitu et praetextu bona ecclesia-
 » stica alienabantur cum maximo sa-
 » cri cultus et ministrorum detri-
 » mento. Sed eiusmodi motivum alie-
 » nationes quaslibet comprehendit,
 » cum indicet examen antecedens cau-
 » sarum alienationis.

Inane vero esse quod proferunt
 » contrariae sententiae patroni, lege
 » scilicet fraudes praecaveri, quae in
 » casu nostro locum non habent, cum
 » Ecclesia alienationis causa nullum
 » reapse detrimentum patiatur; hoc
 » enim etiam dato et concesso, lex
 » vim suam servat. Ut enim ratiocinatur
 » S. Alphonsus *Theol. mor. lib. I. n. 100*,
 » « in his et simili-
 » bus casibus distinguenda est prae-
 » sumptio iuris, qua lex quaerit
 » avertere pericula, quae facile eve-
 » nire solent, et tunc lex locum
 » habet etiam in casibus qui fraude
 » carent, a praesumptione facti,
 » quod si deest, lex merito cessat. »

3. Quid! quod plurima sint Ro-
 » manarum Congregationum decreta,
 » quae hanc sententiam perbelle con-
 » firmant?

Apud Trombetta *Praxeos regulae*
 » *circa contractus rerum ecclesiasti-*
 » *carum rite ineundos, cap. V, n. 2*,
 » habetur Epistola S. Congregationis
 » Episcoporum et Regularium sub
 » die 26 Ianuarii 1764, qua Episcopo
 » Ferrariensi committit examinare an
 » contractus initus ab Abbate Saba-
 » tini utilis esset Ecclesiae, simulque

hunc monere ut absolutionem a
 » censuris referat, et dispensationem
 » ab irregularitate. Atqui id actum
 » fuit antequam dignosceretur an ini-
 » tus contractus esset, nec ne, per-
 » niciosus Ecclesiae; et absolute in-
 » dicitur Abbati ut absolutionem pe-
 » tat ab censuris incursis; ergo con-
 » tractus utilitas eum excommunicati-
 » one non eximebat. Sin minus
 » Episcopo committendum erat ut
 » absolutionem a censuris Abbati sug-
 » gereret, quoties comperiisset con-
 » tractum perniciosum Ecclesiae fuisse.

Pariter die 11 Ianuarii an. 1692
 » eadem Congregatio idem decretum
 » tulit, quod ita legimus: « Sacra
 » Congregatio etc., referente Emi-
 » nentissimo Carafa, censuit ab Ar-
 » chiepiscopo S. Severinae absol-
 » vendum esse P. D. Matthaeum
 » a censuris, remissis caeteris poe-
 » nis; et quatenus compererit, con-
 » tractus fuisse et esse utiles Ec-
 » clesiae, illos confirmandos esse;
 » sin minus revocandos. »

Ergo Congregationis illius Pa-
 » tres putarunt, P. Matthaeum cen-
 » suris percussum fuisse, quamvis
 » contractus iniisset utiles Ecclesiae.

Neque diversa sensit S. Con-
 » gregatio Concilii. Et ne plura con-
 » geramus; huius saeculi initio Ca-
 » pellanus quidam ut servaret beneficii
 » sui reliquias, cum haeredibus fun-
 » datoris transactionem inierat Eccle-
 » siae, Episcopi iudicio, valde utilem;
 » attamen tum Capellanus, tum hae-
 » redes praetermiserant invocare be-
 » neplacitum Apostolicum. Hinc de re

certiores facti ad Sanctam Sedem sese converterunt, atque causa proposita coram Patribus S. Congregationis die 24 Novembris 1821 sequentia dubia discussa et resoluta fuerunt:

1^{um}. An sit locus sanationi transactionis et concessioni Beneplaciti Apostolici in casu?

2^{um}. An sit consulendum Sanctissimo pro absolute a censuris in casu?

R. Ad 1^{um} affirmative in omnibus, et Eminentissimus Episcopus curet ut a Clara Camona consignentur tot bona stabilia vel census, quot aequent summas ab eadem Clara debitas, nec non curet inscriptionem honorum in publicis tabulis nomine Capellaniae.

Ad 2^{um} affirmative, imposita aliqua salutari poenitentia (1).

At ex primo quaesito patet, a S. Congregatione Concilii initam transactionem sanatam fuisse, non aliam indictam; eam ergo utilem, secundum Episcopi iudicium, recognoverat; attamen in secundo quaesito affirmant Patres censuras incursas fuisse; ergo censurae incursae fuerunt etiam ob contractum utilem Ecclesiae; demum patet, contractum illum quamvis Ecclesiae utilem, fuisse nullum ob defectum beneplaciti apostolici; ex quo intelligimus non utilitatis ratione va-

(1) Thesaurus Resolutionum S. Congregationis Concilii Tom. 81, pag. 9. 279, et 315.

(2) Cf. praeclarissimas Ephemerides Nouvelle Revue Théologique Tom. XI, pag. 502, nota 1. quo plurima in re citantur S. Congregationis Concilii decreta.

lidos reddi eiusmodi contractus, sed unico beneplacito Apostolico.

Quod de cetero disertissime asseritur ab cit. Congregationis Patribus dum die 21 Aprilis 1792 affirmarunt, ad sese pertinere veritatem inquirere utilitatis aut necessitatis quarum causa contractus ineundus sit: « An et quomodo sit locus venditioni domorum haereditatis Comitissae Ferretti in casu?

R. Negative, nisi in casu evidentis utilitatis et necessitatis verificandae coram Sacra Congregatione » (2).

3. Plurimorum vero Doctorum iudicio eiusmodi sententia confirmatur. Doctores enim manifeste docent, tunc tantum excommunicatione in huiusmodi contractibus quemquam eximi, cum et iusta intercedit causa, et Beneplacitum Apostolicum intervenit; qua in re ne nimii simus praeclarissimum Vecchiotti citabimus qui *Institutiones Canonicae Vol. II, §. 44* ita communem sententiam declarat: « Prae- » ter causam et solemnitates iam » expositas, adhuc etiam ex celebri » Constitutione Pauli II in Extra- » vaganti *Ambitiosae, De rebus ec-* » *clesiasticis non alienandis*, an- » no 1468, et ex Decreto Urba- » ni VIII 7 Septembris 1624, in » quavis alienatione rerum ad Ec- » clesias, vel loca pia *strictè talia*,

» seu *religiosa*, non vero *mere* » *laicalia* pertinentium, requiritur » consensus sedis Apostolicae, seu » Beneplacitum Apostolicum, sine » quo alienatio tum illicita est, » tum etiam invalida, et contra- » hentes gravissimas poenas sube- » unt in citata *Apostolicae Sedis* » Constitutione inflictas. » Atqui ante el. Vecchiotti hanc eandem sententiam tradiderant Giraldi *Expositio iuris Pontificii, sect. 444, pag. 286*; Mayr *Trismegistus iuris pontificii lib. 3, tit. 13, n. 102*. Matteucci *Officialis Curiae ecclesiasticae cap. 45, numm. 4, 5*, Leurenius *Forum Ecclesiasticum, lib. 3, quaest. 196*, Maschat *Institutiones Iuris Canonici lib. 3, tit. 13, n. 25*. Del Bene *De immunitate et iurisdictione ecclesiastica Cap. XVII, dub. 21, Sect. II, n. 1*. Bonacina *Tractatus de alienatione bonorum ecclesiasticorum, punct. IV, n. 14.*, Card. Petra *Const. V, Pauli II, Sect. IV, n. 37*, Bordoni. *Variae resolutiones regulares, part. 1, resol. XXVII, n. 33*, et alii. At sententia quae tantorum Doctorum auctoritate communitur potest ne in dubium revocari?

Difficile autem non est allatas ab adversariis rationes refutare. Quod enim affirmant, ideo in eiusmodi alienationibus peractis pietatis, necessitatis, aut utilitatis causa excommunicationem non incurri, quia valent in foro conscientiae, et id dicunt quod rem non tangit, et in dubium merito revocari potest.

Non enim Romani Pontifices eiusmodi contractus aut nullos aut validos declarare voluerunt, sed ideo sine Beneplacito Apostolico perficiendos non esse praeceperunt, quia ipsi iudicare volebant et volunt de causarum allegatarum veritate; atque exinde factum est, ut ex allegatis superius decretis patet, quod contractus etiam Ecclesiae utiles nullos, ideoque sanandos decreverint. Valor ergo vel nullitas contractus non est ratio inductae vel inducendae excommunicationis, et ejusmodi ratio nullo pacto contrariae sententiae fert suppetias, quin imo illam subvertit, ut patet; agitur enim de excommunicatione, quae iuxta allegata decreta incurritur, quamvis contractus initus sit utilis et consequenter, iuxta citatos scriptores, validus in foro conscientiae.

Attamen hoc etiam merito in dubium revocatur. 1. Quia quamvis nonnulli sint, iique magni nominis doctores qui illam defendant sententiam, ut ex. gr. Schmalzgrueber *Ius. Eccl. univ. lib. 3, P. 1, Tit. 13, n. 132, 33, 34* et Reiffenstuel *Ius Can. univ. lib. III Decret. Tit. XIII, n. 53*, atque alii; plurimi tamen, neque inferioris auctoritatis, ut Suarez, Sanchez, Schmier, Cardinalis de Luca, et Cardinalis Petra. S. Alphonsus *Theolog. mor. lib. V n. 187 nota V*; atque inter recentissimos *De Angelis Praelectiones iuris canonici lib. III, tit. XIII, 5^o* ut alios plurimos praetermittamus, contrariam defendunt,